

Cambridge University Press

978-1-108-04881-1 - Chronica Magistri Rogeri de Houedene: Volume 1

Roger of Hoveden Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

**CHRONICA MAGISTRI ROGERI
DE HOVEDEN.**

10478.

A

Cambridge University Press

978-1-108-04881-1 - Chronica Magistri Rogeri de Houedene: Volume 1

Roger of Hoveden Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

CHRONICA MAGISTRI ROGERI DE HOVEDEN.

PARS PRIOR.

INCIPIT HISTORIA ANGLORUM SIVE SAXONUM POST
VENERABILEM BEDAM, EDITA A MAGISTRO
ROGERO DE HOVEDEN.¹

[Prologus.]

Simeon, 649. In exordio hujus operis genealogiam regum Northanhimb-
rum libet demonstrare, ut ad eorum tempora valeamus pervenire,
de quibus non est narratum post obitum reverentissimi sacer-
dotis Bedæ. Ida rex annis xi^{cim}. regnavit, quo decedente
Glappa uno regnavit anno, quem secutus Adda, octo annis
tenuit regni fastigia: quo mortuo Ethelric regnum adeptus
est terrenum, quod tenuit septem annis: quo defuncto
Theodericus annis quatuor regnum tenens demum vitam
perdidit, et Friduwuldo² regnum dereliquit, qui septem
annis monarchiam tenens Husso reliquit imperium.
Ipse quoque septem annis imperium tenens, regnum et
vitam perdidit. Octavus in regno claruit Ethelfridus, for-
tissimus regum, qui viginti et octo annis regno potitus est.
Huic successit Edwinus rex, qui fidem Christianitatis perci-
piens, rex et martyr coelos penetravit, postquam septende-
cim annis regnaverat. Oswaldus vero post hunc regnum
Northanhimbrorum Christianissimus suscepit, quod et octo
annis tenuit: quo cœli secreta scandente, regnum post ipsum
Oswius³ rex suscepit, quod et viginti octo annis tenuit; quo

Genealogy
of the Nor-
thumbrian
kings from
Ida to
Ceolwulf.

Simeon, 650.

¹ The first folio of MS. A. is sup-
plied in a modern hand. The text
is corrected by MSS. B., a., and b.

The text of A. begins with the word
ejus, p. 6, line 3, below.

² *Friduwuldo*] Fridubuldo, B.

³ *Oswius*] Oswin, B.

Succession
of the kings
of Northum-
bria.

sublato ad supera, Ecfrius imperium suscepit, qui regnavit annis quindecim; quo a Pictis interfecto, quia injuste vastaverat Hiberniam, regnavit pro eo Alfridus frater ejus. Alfrido vero successit filius ejus Osredus; quo occiso Coenredus regni gubernacula suscepit, cui in regnum successit Osricus. Osrico vero successit Ceolwlfus frater Coenredi: huic Beda historiographus Anglorum historiam destinavit.

Simeon, 650.

His peractis libet ex sanctissimi doctoris Anglorum Bedæ rivulis historiæ, fundamentum assumere hujus operis, incipientes ab ultima ipsius prædicti viri sententia, et sic annos Domini consignantes, et regum tempora cauta ratione disponentes, cæterorumque fidelium vitam et miracula breviter pro posse notantes, optamus summopere cum ipsis æternæ retributionis palmam a Christo percipere.

Simeon, 657.

Spiritus alme veni, sine Te non diceris unquam.
Munera da linguæ, Qui das in munere linguas.

Simeon, 658.

A.D. 732.
Tatwin,
Archbishop
of Canter-
bury.

Anno ab Incarnatione Domini dcc°xxx°ii°, ut Beda narrat, Berctwaldus¹ archiepiscopus est defunctus, et in ecclesia Sancti Petri sepultus. Eodem anno Tatwine est consecratus archiepiscopus nonus Dorovernensis ecclesiæ, Ethilbaldo rege Merciorum quintum decimum agente annum imperii. Ipso quoque anno Ceolwlfus rex captus, attonsus, et remissus est in regnum. Erat vero miro Scripturarum studio imbutus, ut Beda testatur in exordio sui procemii veridicus. Acca episcopus eodem anno de sua sede est fugatus, et Cyneberct² Lindisfarorum ecclesiæ antistes obiit.

A.D. 733.
Consecra-
tions.
Eclipse of
the sun.

Anno³ dcc°xxx°iii°. Tadwine⁴ archiepiscopus accepto⁵ ab apostolica sede pallio ordinavit Alwig⁶ et Sigfrid⁷ episcopos. Eclipsis solis facta est xix°. kalendas Septembris circa horam diei tertiam, ita ut pene totus orbis solis quasi nigerrimo et horrendo scuto videretur esse coopertus.

A.D. 734.
Eclipse of
the moon.

Anno dcc°xxx°iiii°. Luna sanguineo rubore est perfusa, quasi hora integra, ii°. kalendas Februarii,⁸ circa gallicinium; dehinc nigredine subsequente, ad lucem propriam est reversa. Eodem

¹ *Berctwaldus*] Brectwaldus, B. Doroberniæ, interlined in Arundel 69; omitted in original, a., &c., after archiepiscopus.

² *Cyneberct*] Cynebrecht, B. bishop of Lindsey.

³ *Anno*] Here and in most cases below, the original work from which Hoveden copied used the form *Ab*

Incarnatione Domini, which he generally omits.

⁴ *Tadwine*] Thatwine, B.

⁵ *accepto*] accepta, a. b.

⁶ *Alwig*] of Lindsey.

⁷ *Sigfrid*] of Selsey.

⁸ The total eclipse of the moon took place on the 24th (9 kal. Feb.) of January 734.

- Simeon, 658. anno Tadwine¹ archiepiscopus nonus Dorovernensis civitatis in Cantia obiit die tertio kalendas Augusti. Primus ipsius civitatis episcopus erat Augustinus, gloriosus doctor totius regni, ac egregius fundator Christianæ fidei et religionis, quem ordine secuti sunt Laurentius, Mellitus, Justus, Honorius, Deusdedit, Teodorus doctissimus, Berchtwaldus;² quos secutus est Tadwine³ episcopus, sicut præfati sumus. Eodem anno ordinatus est Frithebertus Hagustaldensis episcopus. A.D. 734.
Death of
Tadwine.
- Simeon, 659. Anno dcc^oxxx^ov^o. Nothelmus archiepiscopus ordinatus est, et Egbert Eboraci antistes, primus post Paulinum, accepto ab apostolica sede pallio, genti Northanhimbrorum in archiepiscopatum confirmatus est. Beda doctor obiit in Girvum. A.D. 735.
Nothelm
and Egbert,
Archbishops.
- ⁴ Anno ab Incarnatione Domini dcc^oxxx^ovi^o. Nothelmus, pallio a Romano pontifice suscepto, ordinavit tres episcopos; Cuthbertum⁵ videlicet, Heordwaldum, et Ethelfridum.⁶ A.D. 736.
Consecra-
tions.
- Anno dcc^oxxx^ovii^o. Aldwine, qui et Wor, episcopus defunctus est, et pro eo Hwitta⁷ et Tota,⁸ Mercis ac Middelenglis, sunt consecrati antistites. Eodem anno pro Ceolwlfō regnum Northanhimbrorum Eadbert filius patrum ejus suscepit. A.D. 737.
Mercian
diocese di-
vided.
- Anno dcc^oxxx^oviii^o. Swebriht Orientalium Saxonum rex obiit. A.D. 738.
- Anno sequenti, Athelherd rex Occidentalium Saxonum defunctus est, et pro eo Cuthred frater ejus rex constituitur. Ipso quoque anno Nothelmus archiepiscopus, post annos quatuor accepti episcopatus diem obiit, et Aldulf Hrofensis ecclesiæ episcopus est defunctus. A.D. 739.
Nothelm
dies.
- Anno dcc^oxl^o., Ethelwald Lindisfarnensis ecclesiæ antistes migravit ad Dominum, et Kinewlf in episcopatum subrogatus est. Eodem vero anno reverendæ memoriæ Acca episcopus sublevatus est in regionem viventium, peractis in episcopatu Hagustaldensis ecclesiæ annis viginti quatuor, ad cujus ecclesiæ partem Orientalem corpus ejus honorifice conditum est: ac deinde peractis a depositione sua plusquam trecentis annis, a quodam presbytero divina revelatione translatus est, ac in ecclesia intra feretrum condigno A.D. 740.
Death of
Æthelwald of
Lindisfarne
and Acca of
Hexham.

¹ *Tadwine*] Tanwine, a.; Thatwine, B.

² *Berchtwaldus*] Brictwaldus, B.

³ *Tadwine*] Thatwine, B.

⁴ Rubric in a.: Nothelmus pallium suscepit.

⁵ *Cuthbertum*] of Hereford.

⁶ Herewald of Sherborn and Ethelfrith of Elmham.

⁷ *Hwitta*] Huutta, b., of Lichfield.

⁸ *Tota*] or Torthelm, of Leicester.

- A.D. 740. honore positus, ubi usque hodie in magna veneratione habetur ; Simeon, 659.
ob cuius sanctitatis meritum omnibus demonstrandum, casula,
et tunica, et sudarium, quæ cum sanctissimo ejus corpore in
terra posita erant, non solum speciem, sed etiam fortitudinem
pristinam usque in hodiernum diem servant. Ipso autem Simeon, 661.
anno, quo Sanctus Acca episcopus ad cœlestia regna migravit,
Arwine filius Eadulfi occisus est die nono¹ kalendas Januarii,
feria septima. Eodem anno Cuthbert undecimus Dorovernensis
ecclesiæ archiepiscopatum suscepit. At vero post Aldulfum
Hrofensis ecclesiæ Dun sacerdotium accepit.
- A.D. 741. ²Anno dcc^oxl^or^o. monasterium in Eboraca civitatē succensum
Fire at York. est nono kalendas Maii feria prima.
- A.D. 744. ³Anno dcc^oxl^oiv^o. factum est prælium inter Pictos et Britones ;
A.D. 745. sequenti vero anno visi sunt in aere ignei ictus, quales nun-
quam ante mortales illius ævi viderunt, et ipsi pene per totam
noctem visi sunt, kalendis scilicet Januarii. Eodem quoque Simeon, 662.
anno, ut quidam referunt, dominus Wilfridus,⁴ Eboracæ civi-
tatis episcopus, migravit ad Dominum tertio kalendas Maii ;
nos vero dicimus, quod priusquam Beda suam historiam ex-
plicuisset, translatus sit ille primus Wilfridus ad cœlestem
patriam. Ipsis diebus Lundoniæ civitatis episcopus nomine
Inguald obiit. His temporibus floruit Sanctus Guthlacus.
- A.D. 749. Anno dcc^oxl^oix^o. Elfwald rex Orientalium Anglorum defunctus
est, regnumque Humbenna et Albert sibi diviserunt.
- A.D. 750. Sequenti anno, hoc est anno dcc^ol^o., Eadbert rex Kini-
wulfum⁵ episcopum in urbem Bebban captivum adduxerat,
basilicamque beati Petri obsidere fecit in Lindisfarne. Offa
quoque filius Alfridi ad reliquias Sancti Cuthberti pontificis,
innocens coactive accurrebat: pene defunctus fame, de ecclesia
sine armis abstractus est. Eodem anno Alwiche⁶ episcopus obiit
et Aldulf diaconus ejus ordinatur in episcopatum. Cuthred
autem, rex Occidentalium Saxonum, surrexit contra Ethilbal-
dum regem Merciorum.
- A.D. 752. Anno ab Incarnatione Dominica dcc^ol^oii^o. eclipsis lunæ facta
est, pridie kalendas Augusti.
- A.D. 754. Anno dcc^ol^oiiii^o. Bonifacius archiepiscopus, qui et Winfridus,
Martyrdom of S. Boni- Francorum, martyrio coronatus est cum quinquaginta tribus.
face.

¹ *nono*] decimo, Sim. D. In 740, the Saturday was the 24th ; in 741, the 23rd of December. The dates in the text are therefore consistent.

² Rubric in a.: Monasterium Eboraci crematur.

³ Rubric in a.: Sanctus Wilfridus obiit, et floruit Guthlacus.

⁴ *Wilfridus*] ii. interlined, A.; secundus, Sim. D. It was bishop Wilfrid of Worcester who died in 745.

⁵ *Kiniwulfum*] of Lindisfarne.

⁶ *Alwiche*] of Lindsey.

- Simeon, 662. **Sequenti anno Cuthred¹ rex Occidentalium Saxonum obiit, A.D. 755.**
cujus regni scepra Sigbert² accepit.
- ³Anno dcc^ol^ovi^o. Eadbert rex decimo octavo anno regni sui, A.D. 756.
et Unnust rex Pictorum duxerunt exercitum ad urbem Alclu- Dumbarton
reduced by
the North-
umbrians
and Picts.
tit,⁴ ibique Britones inde conditionem receperunt, prima die
mensis Augusti; decima autem die mensis ejusdem interiit
exercitus pene omnis, quem duxit de Ouama ad Niwambirig,⁵
id est ad novam civitatem. Eodem anno Balthere anachorita
vitam sanctorum secutus est, et migravit ad Dominum :
Luna autem sanguineo rubore superducta octavo kalendas De- Eclipse of
the moon
(properly
Nov. 23, 755).
cembris quindecima ætate, id est plena, sicque paulatim decre-
scentibus tenebris ad lucem pristinam pervenit: nam, mirabi-
liter, ipsam lunam sequente lucida stella, et pertranseunte,
tanto spatio eam antecedebat illuminatam, quanto sequebatur,
antequam esset obscurata.
- Anno dcc^ol^ovii^o. Ethelbald rex Merciorum a suis tutoribus A.D. 757.
fraudulenter occisus est. Eodem vero anno Mercii bellum Offa, king of
Mercia.
civile inter se inierunt: Bearnred in fugam verso, Offa rex
victor exstitit.
- Anno dcc^ol^oviii^o. Eadbert rex sponte contulit filio suo regnum A.D. 758.
sibi a Deo collatum, nomine Osulfo, qui uno anno regnum Resignation
of Eadbert
of Northum-
bria.
tenuit, amisit, perdidit; quia occisus est nequiter a sua familia
juxta Mechilwongtune nono kalendas Augusti.
- Simeon 663. **Sequenti vero anno Ethelwald, qui et Moll⁶ dictus est, A.D. 759.**
regnare incipit nonas Augusti; cujus tertio anno inchoante gra- Æthelwald
Moll, king
of North-
umbria.
vissimum juxta Eladanum gestum est bellum vii^o. idus Au-
gusti, in quo cecidit Oswine post triduum prima feria. Ethel-
wald⁷ vero rex præfatus victoriam sumpsit in bello. Ipso A.D. 761.
quoque anno Unnust Pictorum rex defunctus est.
- Anno dcc^olx^oii^o. Ethelwald rex præfatus accepit reginam A.D. 762.
Etheldritam kalendas Novembris in Cateracta. His mar-
riage.
- Tertio denique anno, hoc est dcc^olx^oiv^o, nix ingens A.D. 764.
gelu ligata, omnibus retro sæculis incomparabilis, a principio
hyemis pene usque ad medium veris terram oppressit, cujus vi
arbores oleraque magna ex parte aruerunt, ac marina animalia
multa inventa sunt mortua. ⁸Eodem quoque anno Ceolwlf, quon- Death of
Ceolwulf, ex-
king of Nor-
thumbria.
dam rex, tunc Domini nostri Jesu Christi servus monachusque,
obiit. Huic vero regi Beda historiographus veridicus direxit epi-

¹ *Cuthred*] Cutherd, A.² *Sigbert*] Sigberth, a.³ Rubric in a.: De urbe Alclud.⁴ *Alclutit*] Alclut, a. b.; Alcwith, Sim. D.⁵ *Niwambirig*] Niwanbirig, a. b.⁶ *Moll*] Mollis, A.⁷ *Ethelwald*] Ethewald, A.; Ælthelwald, a. Ælwald, b.⁸ Rubric in a.; De rege Ceolwlf monacho.

A.D. 764.
Account of
king Ceol-
wulf.

stolam sic inchoando: "Gloriosissimo regi Ceolwlf Beda famulus Christi et presbyter. Historiam gentis Anglorum, quam nuper edideram, libentissime tibi desideranti, rex, et prius ad legendum, et post ad scribendum, ac plenius ex tempore meditando transmitto." Ipse rex postmodum abrenuntians sæculo in Lindisfarnensi ecclesia monachus effectus, cœlesti regno militavit; cuius corpus postea delatum in ecclesiam Northam, multis ibidem, ut fertur ab habitatoribus ipsius loci, claruit miraculis. Hoc rege, jam monacho facto, efficiente, data est Lindisfarnensis ecclesiæ monachis licentia bibendi vinum vel cervisiam; ante enim non nisi lac vel¹ aquam bibere solebant, secundum antiquam traditionem Sancti Aidani primi ejusdem ecclesiæ antistitis, et monachorum, qui cum illo de Scotia venientes, ibidem donante rege Oswaldo mansionem acceperant; et cum magna districtione, futuræ vitæ servientes degere gaudebant.²

Simeon, 663.

Simeon, 139.
(ed. Twysden).

Frequent
fires.

Anno eodem multæ urbes monasteriaque, atque villæ per diversa loca, necnon et regna repentino igne vastatæ sunt, verbi gratia, Strebürg, Wenta³ civitas, Homunic,⁴ Lundonia civitas, Eboraca civitas, Donacestir; aliaque multa loca illa plaga concussit. Eodem anno Frehelm presbyter et abbas obiit; et episcopus Merciorum gentis nomine Totta⁵ defunctus est; et Eadbert pro eo ordinatus est episcopus. His quoque temporibus Frithwald episcopus Candidæ Casæ ex hoc sæculo migravit, pro quo Pechtwin in loco illius episcopus subrogatur.

Simeon, 663.

Deaths of
Bishops.

Anno dcc°lxx°v°. ignei ictus in aere visi sunt, quales quondam apparuerunt tempore nocturno kalendis Januarii, ut superius notavimus. Eodem anno Ethelwald regnum Northanhymbrorum amisit in Wincanheale tertio kalendas Novembris, cui Alcred, prosapia Idæ regis, ut quidam dicunt, successit in regnum. Hemeli quoque Merciorum episcopus obiit. Cuthfrid ordinatus est episcopus in Licetfeldan; ea quoque tempestate Bregwine archiepiscopus defunctus Lambertum⁶ habuit successorem; Aldulfo quoque antistiti defuncto in Lindisse Ceolwlf successit.

A.D. 765.
Æthelwald
Moll suc-
ceeded by
Alcred.

Jaenbert,
Archbishop
of Canter-
bury.

¹ *vel*] om. A.

² *Ipse . . . gaudebant*] This passage is repeated below, p. 45, in the account of the possessions of the See of S. Cuthbert under King Alfred. It occurs in Simeon of Durham under the year 854.

³ *Strebürg, Wenta*] Stretbügrewenta, a.

⁴ *Homunic*] Homwic, S.D.

⁵ Of Leicester.

⁶ *Lambertum*] properly Jainbert, or Jaenberht; the date of his succession here given differs from that of the Anglo-Saxon Chronicle, but is confirmed by the existing charters. See especially Kemble's *Codex Diplomaticus Ævi Saxonici*, vol. i. p. lxxxv. to lxxxvii., and the Life of Bregwin, printed by Wharton in the *Anglia Sacra*, ii. 75.

Simeon, 663. Anno DCC^oLX^oVI^o. Egbert archiepiscopus Eboracæ civitatis in pace Christi requievit, decimo tertio kalendas Decembris, tricesimo quarto anno episcopatus sui: eodem anno Sanctus Frithebertus Hagustaldensis episcopus obiit. A.D. 766.
Archbishop
Egbert dies.

Anno DCC^oLX^oVII^o. Albert Eboracæ civitatis, et Alchmund Hagustaldensis ecclesiæ, consecrati sunt episcopi octavo kalendas Maii. Eodem anno Albert¹ ad Ealdsexos² ordinatus est episcopus, et Ceolwlf in Lindisse consecratus est episcopus. Ipso quoque anno Etha anachorita feliciter in Cric obiit, qui locus distat ab Eboraca civitate decem milliariis. A.D. 767.
Consecra-
tion of four
bishops.

Anno DCC^oLX^oVIII^o. Eadbert, decimo anno amissionis regni sui, in clericatu et Dei servitio feliciter emisit spiritum. Eodem anno Pipin rex Francorum obiit et Hadwine ordinatur episcopus ad Machui.³ A.D. 768.
The ex-king
Eadbert
dies.

Anno DCC^oLX^oIX^o. Ceteracte succensa est ab Earnredo tyranno, et ipse infelix eodem anno incendio periit Dei iudicio. A.D. 769.
Catterick
burnt.

Simeon, 664. Anno DCC^oLXX^oI^o. Offa rex Merciorum Hestingorum gentem armis subegerat. Eodem anno Karlmon rex Francorum subita præventus infirmitate defunctus est, sed et frater ejus Karolus, cum dimidium prius patris obtinisset principatum, totius regni monarchiam, et Francorum fastigium populorum dehinc est indeptus invicta fortitudine. A.D. 771.
Charles,
king of the
Franks.

Anno DCC^oLXX^oII^o. Karolus Francorum rex collecta manu valida, et bellicosis suæ majestatis viris conjunctis, Saxonum gentem est ingressus, multisque ex principibus ac nobilibus viris amissis in sua se recepit. A.D. 772.
Charles
attacks the
Saxons.

Anno ab Incarnatione Dominica DCC^oLXX^oIII^o. Hadwinus Mygensis ecclesiæ antistes obiit et Leuthfrit pro eo subrogatus est episcopus. Wlfeth⁴ quoque abbas Beverlacensis obiit, et Albertus, Eboracensis archiepiscopus, pallium ab Adriano papa sibi directum accepit. A.D. 773.
Bishops of
Mayo.

Anno DCC^oLXX^oIV^o. Eadwlf dux obiit, et Alcredus rex consilio et consensu suorum, omni regiæ familiæ ac principum destitutus societate, exilio imperii majestatem mutavit. Primo in urbem Bebban, postea ad regem Pictorum nomine Cinoth,⁵ cum paucis fugæ comitibus se contulit. ⁶Bebba vero civitas, A.D. 774.
King Alcred,
exiled.

¹ *Albert*] Aluberht, Sim. D. (of London?)

² *Ealdsexos*] Eastsexos, a., b.; if the former be the true reading, this is probably the last case of the consecration of a bishop for Germany, in England.

³ *Machui*] Machuii, b., Mayo of

the Saxons; on the West coast of Ireland: a settlement formed by bishop Colman after his departure from England in 664.

⁴ *Wlfeth*] Wlfeht, a., b.

⁵ *Cinoth*] Cynoth, b.

⁶ "De situ Castri de Bamberg."

Rubric in a.

- A.D. 774. Description of Bam-
borough. urbs est munitissima, non admodum magna sed quasi duorum Simeon, 664.
vel trium agrorum spatium, habens utrum introitum cavatum,
et gradibus miro modo exaltatum; habet in summitate montis
ecclesiam perpulchre factam, in qua est scrinium preciosum,
in quo involuta pallio jacet dextra manus Sancti Oswaldi regis
incorrupta, sicut narrat Beda¹ historiographus hujus gentis. Bed. H. E.
Est in occidente, et in summitate ipsius civitatis fons miro iii. 6.
cavatus opere, dulcis ad potandum, et purissimus ad videndum.
Ethelredus quoque filius Ethelwaldi pro eo regnum suscepit,
et vix quinque annos tenuit, ut post hæc clarebit. Eadem
tempestate Karolus rex Francorum invictissimus nobilissimam
Longobardorum urbem Ticinam longa obsidione vexatam, simul
cum ipso rege Desiderio ac totius Italiæ imperio, cepit.
- A.D. 775. Conquest of
Lombardy. Anno dcc°lxxv°. rex Pictorum Cynoth obiit, et Eadulf dux
per insidias fraudulentè captus, post spatium exigui temporis
occiditur, sepelitur, obliviscitur. Ebbo quoque abbas obiit.
Karolus quoque rex, ut præfati sumus, bellicosissimus Fran-
corum, cum omni exercitus sui virtute vallatus, confortatus,
glorificatus, gentem Saxonum est ingressus centuriatus, atque
legionibus stipatus. Quam regionem gravissimis præliis vas-
tavit, igne, ferroque debacchando; quia erat efferatus
animo. Urbes denique duas Sigeburch, et Aresburch, atque
provinciam Bohveri, olim a Francis oppressam, suo potenter
adjecit summo imperio.²
- A.D. 777. Bishops of
Whithern. Anno dcc°lxxvii°. Pechwine episcopus Candidæ Casæ mi-
gravit ad Dominum, cui Ethelbricth successit.
- A.D. 779. Ethelred
succeeded
by Elfwald. Anno dcc°lxxix°. Ethelredo quippe de regali solio expulso
et in exilium fugato, cogitur mœstos inire modos. Elfwald
vero filius Osulfi, Ethelredo expulso, regnum Northanhymbro-
rum suscepit, tenuitque decem annis. Erat enim iste rex pius
et justus, ut sequens demonstrabit articulus.
- A.D. 780. Death of
Archbishop
Albert. Anno dcc°lxxx°. Osbald et Ethelheard duces congregato Simeon, 665.
exercitu, Bearn patricium Elfwaldi regis in Seletune succen-
derunt nono kalendas Januarii. Eodem anno Alberth archiepi-
copus³ ex hac luce migravit ad Christum, Eanbaldo, se adhuc
vivente, ad eandem sedem ordinato. Cyniulf quoque episco-
pus⁴ eodem anno relictis sæcularibus curis, Higbaldo guber-

¹ Beda] interlined in A.² See Einhard, *Annales*, A.D. 775. The names are there given, Sigiburgus (on the Ruhr), Æresburgus, and "pagus qui Bucki vocatur" (Bückeburg.)³ Of York. He consecrated his successor two years and two months before his death, i.e. about September 778. Alcuin *de Pontiff.* (Gale, p. 730).⁴ Of Lindisfarne.